



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXXX. Christus in ligno crucis suspensus, perfectissimus obedientiæ typus, & exemplar omnibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CXXX.

Christus in ligno crucis suspensus perfectissimus obedientiae typus & exemplar,

Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.
Philipp. 2. 8.

I.

Ubi DEus T. O. M. hunc mundum ex nihilo sui produxit, addit Scriptura post singulas creaturarum irrationabilium productiones: *Et vidit Deus quod esset bonum;* ubi autem ad creationem hominis ventum est, quem formavit Dominus de limo terrae, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, non amplius Scriptura dicit: *Et vidit DEus quod esset bonum.* Et quare hoc?

R. Doctissimus Mansius: *Bonitas hominis ex ejus obedientia judicari debet, quia homo in tantum bonus est, in quantum praecepto creatoris sui obediens & subjectus est.* Voluit proinde DEus, ut homo sub obedientia viveret; & licet eum libero dotaverit arbitrio, mox tamen, ut conditus est, eum praeceptis adstrinxit, ac inobedientem exinde severe castigavit: *Et emisit eum Dominus DEus de paradiso voluptatis.* Ecce inobedientia à paradiso nos exclusit.

Hanc inobedientiam primi hominis in cruce luit, & expiavit mitissimus orbis Salvator Christus; dum enim primus homo manum suam extendit ad fatale lignum in paradiso, hic ad vitale crucis lignum in monte Calvario extendens manus, Patrique factus obediens usque ad mortem, illud reparavit, quod primus homo perdidit. Juvat hic audire S. Brunonem: *Dominus, inquit, & Salvator noster ipse nos docuit quantum sit obedientia bonum, de quo scriptum est, quia factus est obediens Patri usque ad mortem.* Per inobedientiam primi hominis perierat mundus, per obedientiam Jesu Christi salvatus est mundus; ille inobediens ad lignum veritum accessit, iste obediens lignum crucis ascendit; ille accedens rapuit, quod non debebat, iste

Ginther Unus pro omnibus.

Q 9 9

iste

iste ascendens, quæ non rapuit, tunc exsolvebat. Collige ex hoc fructum obedientiæ.

Gen. 22. 9.

2. Pulcherrimam obedientiæ formam ac normam nobis reliquit Abraham Patriarcharum decus, & Isaac filius ejus, ille quia mandatum divinum de immolatione unigeniti filii sui sine mora exequi voluit, hic quia se obedientem usque ad mortem exhibuit: *Et venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo edificavit altare, & desuper ligna composuit: Cùmque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super strum lignorum: &c.* Collige anime mi, ex hoc figurante figuratum, & Christum Patri suo cœlesti usque ad mortem crucis obedientem. Ah ubi nostra est obedientia erga DEum & Superiores, præsertim in arduis? hinc multorum lapsus & interitus, quia divinis mandatis & Superiorum jussis non obtemperamus.

Gen. 6. 22.

Noë in omnibus Domino ac DEO suo obedivit, unde gratiam habuit fabricandi arcam, in qua tempore imminentis diluvii salvaretur genus humanum, de quo sacer Chronista: *Fecit omnia, quæ præceperat illi Deus.* Plus Christus, qui, ut filius fabri, fabricari sibi fecit arcam (S. Crucem) in quo salvaret genus humanum; unde crux ab Ecclesia vocatur: *Arca Mundo naufrago.* O S. Crux! sis mihi arca in extremo mortis articulo. Promptam obedientiam Joseph patri suo exhibuit, cùm ab eo ad fratres invidios ac perfidos mitteretur, quos licet priùs de crimine pessimo accusasset, & idcirco meritò ab eorum infidiis debuisset sibi timere, iovit tamen obedientissimus filius, quamvis ei machinarentur necem: *Veni, mittam te ad eos, quo respondente: Præsum, ait: Vade, & vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos &c.* Supra quod S. Ambrosius: *Hoc scriptum est de Joseph, completum in Christo, Patri in omnibus obedientissimo &c.*

Ecclesia in hym. de S. Cruce.

Gen. 37. 13.

S. Ambr. 1. de Joseph. c. 3.

3. Isaias Propheta, licet nobilissimâ ac regiâ oriundus stirpe, iussu tamen Dei nudus in publica civitate (tanquam novum factus portentum) coram omni populo incedere non erubuit, ut populum prævaricantem à lege Dei, ad pœnitentiam reduceret: *In tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filii Amos, dicens: Vade, & solve saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis. Et fecit sic vadens nudus, & discalceatus.* Magna hic erat obedientia in viro tam sancto ac præclaro; Supra quod D. Hieronymus: *Mira obedientia Propheta, inquit, solo cilicio induebatur, non tamen erubuit nudus incedere, nihil honestius judicans, quàm obedire præceptis divinis.* Et in hoc, ait Cornelius, Isaias rursus typus fuit Christi in cruce denudati, ac Patri in omnibus obedientissimi, unde *inclinato capite tradidit spiritum, ut sic ostenderet, quòd ex obedientia hanc ignominiosissimam subiret mortem: Ne perderet obedientiam,*

Ma. 20. 2.

S. Hier. ibid. in Is.

Jo. 19. 30.

tham, perdidit vitam, ait Mellifluus. Et quid tu, DEO & hominibus superioribus tuis rebellis? S. Bernh. grad, hum.

4. Imò non solum Patri suo caelesti mitissimus Iesus obediens factus est usque ad mortem, *mortem autem crucis* (En perfectissimam obedientiae victimam) sed & jam in prima aetate suis parentibus subditus & obediens esse voluit, omnem laborem per triginta annos patienter & obedienter cum illis sustinens; Quod S. Lucas paucis istis verbis complexus est: *Et erat subditus illis*; In quem locum egregie S. Luc. 2. 51. Bernhardus: *Quis? quibus? Deus hominibus? Deus, inquam, cui Angeli sub-* Philipp. 2. 8.
diti sunt, cui Principatus, & Potestates obediunt, subditus est Maria; Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare, erubescere superbe cinis; Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te praeponis S. Bernhard. hom. sup. Mellus est.
Autori?

Et quid ulterius de Christi obedientia dico? O caeli obstupescite! non tantum parentibus suis, sed & carnificibus ac impiis tortoribus obediens factus est, dum illis purpuram induentibus morem gessit, iussus sedere obtemperavit; imponentibus coronam spineam inclinavit caput; & arundinem contumeliosè oblatam suscepit; ad populum Rex gloriae miserè toto corpore dilaniatus, Praesidis Pilati iussione processit; ah quantà hic, confusione perfundebatur omnium ludibriis expositus, quàmque graviter aures ejus percutiebant crudeles illae durissimaeque voces, quibus omnes illi acclamabant: *Crucifige, crucifige eum*; Et quando ventum est ad Calvariae montem, *crucifixoribus*, ait S. Vincentius Ferrerius, *quando dixerunt ei; Exspolia te, & ipse statim obedivit*; S. Vinc. Ferr. serm. 3. in Epiph.
Atque ita in ceteris, quantumcunque duris & acerbis promptè obsecutus est; ubi completum est illud Isaiae; *Ego autem non contradico, retrorsum non abii, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* En perfectissimum obedientiae typum & exemplar. Et nos quid subinde? Isa. 50. 5.

5. Ibat Vita nostra, Christus Dominus, ad mortem, gravissimam oneratus cruce, quam immanem patibuli machinam, pedes quindecim longam & octo latam, lassatis & penè intermortuis ferebat artibus. Succubuit huic oneri Atlas ipse divinus, qui tribus digitis appendit molem terrae, & ad portam judicariam in terram delapsus est. (Tanti ponderis peccatum est, ut illo gravati etiam fortissimi Angeli dehiscerentibus caelis, in gehennae barathrum sint demersi.) Quod ubi scelerati illi deicidae adverterunt, Simonem Cyrenaeum de villa sua venientem coegerunt, ut crucem post Iesum ad Calvarium montem portaret: *Hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* O felix Simon! unde Matth. 27. 32
tibi talis ac tanta gratia? Non invenio in Scriptura aliquod de illo

singulare meritum, nisi hoc solum, quia Simon vocabatur: *Exeuntes autem invenerunt hominem nomine Simonem.* Simon autem idem significat quàm *Obediens*, per quod innuitur, quòd ille quam maximè idoneus sit ad ferendam crucem, qui Deo ac superioribus suis existit obediens: *Abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Supra quod S. Laurentius Justinianus: *Magna profectò res est abnegare se, tollere quotidie obedientia crucem, & sequi Christum.* Magna res: Experieris in te ò mi Lector.

Luc. 9. 23.
S. Laur. Just.
lib. de obed
c. 26.

Gen. 28. 11.

S. August.
serm. 7. ad
Fratres.

6. Jacob Patriarcha scalam vidit usque ad cœlum à terra peringentem, supra quam Angeli læti ascendebant ad Dominum eidem scalæ innixum: S. Augustinus obedientiam scalam vocat, per quam ad empyreum homines ascendunt cœlum: *O sancta, inquit, Dei sponsa obedientia, tu perfecta scala, quâ cœlum ascenditur, tu quadriga, qua Elias veñtus est in paradysum, tu porta paradysi fidelium, & clausura reorum inferni.*

Jos. 14. 12.
S. Hieron. in
Psal. 143.

Josue quia obediens in omnibus Deo & Moyse fuit, & ipse DEus illi se obedientem exhibuit, dum ad imperium Josue sine mora Sol & Luna, sphaeræque cœlestes obtemperârunt: *Obediente Deo voci hominis.* Supra quod S. Hieronymus: *Solus imperat Soli & Luna, & stat, homo jubet, & cœlum audit. Audit illum cœlum, quia ipse audiebat Dominum.*

Luc. 19. 9.

Zachæus, quia promptè obediebat voci Domini, velocitèrque ex arbore descendit, ut ejus exequeretur voluntatem, hanc dulcissimam ab ore Veritatis audire vocem meruit: *Hodie salus huic domui facta est.*

Matth. 17. 5.

Quando Christus in monte Thaboræo Moysen inter & Eliam medius ac gloriosus apparuit, vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus.* Quæres hic, cur non similis vox audita fuit Christo in cruce in Calvario monte inter duos latrones pendente? R. Sylveira: Ubi tanta obedientia refulget, vox Patris non requiritur, factus enim est illi obediens usque ad mortem, & hoc factis erat.

